

manitatis pertinet, illud nullo modo in primis sed unice in secundis Naturæ consistit. Atqui Jus N. & c. E.

TH. V.

Utrique tamen, tam Grotius, quam Stoici, rectè usi sunt hac distinctione, quando secunda longissimè primis antetulerunt; *quia hæc commendent nos quidem rectè rationi, sed ipsa recta ratio carior nobis esse debeat, quam illa sint, à quibus ad hanc venerimus; Grot. d. l.* Quod & nos facere debemus; Prima in statu animalitatis subjicientes & conformantes in statu humanitatis Secundis. Sentias itaque, in illo primum quoddam Naturæ, e. c. utendum esse Venere; in hoc tamen simul audies secundum, *id faciendum, nisi juxta Leges Civitatis, in quâ vivis, non esse, eique obedies.* Atque sic in aliis casibus innumeris.

TH. VI.

Similiter, si tres illos status debite subordinates, in doctrina de Summo Bono, felicissimè procedere poteris. Dicat enim Epicurus, aut ejus de grege porcus, illud in voluptate corporis consistere; facile agnoscis, hanc, quòd in statu animalitatis subsistat, summum hominis Bonum esse non posse. Summum enim hominis Bonum in quo, nisi humanitatis statu quæres & invenies? In hoc verò ipso, cum inveniuntur varia, quæ vel practicè in vita communi (ut apud ambiciosos & avaros, honores & divitiæ,) vel theoreticè in publicis scriptis (sicut habitus virtutis apud Stoicos,) pro summo Bono habeantur; sana quidem Ratio ab his Te ad actiones virtuosas (cum Aristotelicis) deducet: status tamen Christianismi Te magis magisque in hac sententiâ confirmabit, simulque, quales illæ actiones, minimum in Idea esse debeant, distinctè docebit. In hoc enim statu audis de summo Bono Theologico, quòd consistat in recuperatione imaginis divinæ in spiritualibus: E. colligis facile, summum Bonum Philosophicum ponendum esse in recuperatione ejusdem in moralibus; quæ non nisi per actiones ex-amussim perfectas fieri potest.

TH. VII.

Quantum autem illud est, quòd in Statu Christianismi affectus nostros omnium optimè cognoscimus? Sanè, cum virtutes & vitia moralia illos, tanquam objecta sua interna, ubique habeant obvios, immò conjunctissimos, non possunt non illi maximi momenti esse in

II. Exempla ex secundo Genere.